



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

LXVII. Markgraf Johann überläßt der Mannschaft und den Städten in den  
Bezirken Salzwedel und Lüchow die Münze zu Salzwedel, am 21.  
Dezember 1314.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

sicut exnunc, expense communes debent esse. Item si aliqua enormitas seu violentia per potentes aliquos fieret in vestra civitate, dummodo consules talem sibi assumerent violentiam, iterum expense communes debent esse. Datum Brandenburg, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. IX<sup>o</sup>; proxima die sequente post festum Johannis Baptiste.

Nach dem Originale des Salz. Archives VI, 2.

LXVII. Markgraf Johann überläßt der Mannschaft und den Städten in den Bezirken Salzwechel und Lüchow die Münze zu Salzwechel, am 21. Dezember 1314.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Amen. Oblivio semper injuriatur memorie, et ex longinquitate temporis sepe fit, quod res clara presentibus redditur obscura futuris, et sic interdum rescissa repullulant, fuscitantur sopita, sepulta resurgunt, unde adversus oblivionis dispendium prudentum cautela de scripture suffragio providit. Inde est, quod nos Johannes, Dei gracia Brandenburgensis, Misnensis et Lusatie Marchio, publica recognitione recognoscimus, et ad univerforum et singulorum notitiam presentes literas intuentium cupimus devenire, quod de maturo consilio nostrorum Consiliariorum ac provida deliberatione honestis viris nobis fidelibus, militibus et vassallis, Consulibus et civibus nostris in districtibus Saltwedele et Lueho univerfis, ac eorum successoribus cunctis et singulis, monetam nostram in ipsa civitate Saltwedele, cum jure et proprietate et omni utilitate dedimus, damus et presentibus assignamus, nichilominus omni juri, quod nobis aut nostris heredibus veris et legitimis in posterum competere in eadem moneta possit, simpliciter et pure renunciantes. Et ipsa moneta innovari non debet quoquo modo; si vero predictis nostris fidelibus de communi consilio et consensu, propter bonum terre et nostrarum civitatum videbitur tempore succedenti esse utile et consultum, quod denarii fierent, qui vulgariter Ockelpennige vocantur, hoc iidem nostri fideles disponere possunt secundum proprium arbitrium, prout ipsis videbitur expedire. Inter cetera recognoscimus, quod predicti nostri fideles in recompensationem istius monete ipsis a nobis proprietatis titulo date, sua propria pecunia theoloneum Hinrico, Conrado, militibus, et Brunningo, dictis de Crakow in ipsa civitate Soltwedele a nobis et nostris progenitoribus iusto pheidali titulo collatum, ab eisdem nobis iusto emptionis contractu libere et integre comparaverunt, ita quod ipsam theloneum ad nos est per istum modum rite devolutum. Et ne in posterum aliquis error suboriatur, presentibus volumus et statuimus, ut ex nunc nomine thelonei, nil aliud, quam infra continetur, recipiatur, videlicet de sarcina allecis, que in vulgari Last dicitur, duo solidi, de choro tritici duo solidi, de choro ordei duo solidi, de choro siliginis duo solidi, et de choro avene unus solidus Saltwedelensium denariorum recipiantur, et de ceteris manfis nichil aliud requiri vel dari debet, nisi quod solitum fuit et consuetum. In evidenciam istius facti, presentes literas, presentibus nostris fidelibus, videlicet Hinrico, Frederico, Gheveardo, Alberto de Alvensleve, Hinrico Scenken, Lodowico de Wantzleue, Droysekino, nostro dapifero, Gunthero de Sando, militibus, et pluribus aliis satis dignis, dari iussimus, nostro sigillo sigillatas. Datum et scriptum Spando per manus Herimanni de Arneburch, nostri prothonotarii, Anno Domini Millefimo CCCXIII. die Thome Apostoli.

Bestmann's Beschreib. a. a. D., Sp. 13 u. 14. Leng Br. Urk. S. 197, 198.